305
158v

tur Deisus. – Observo ad 2m si recte ex ἀεχείνω expressa est linea V, credo artificem errorem admisisse in nomine ΘΕΟΡ loco ΓΡΗΓ. Nam si nomen τὸ ἁγίου Βασιλείου τοῦ μεγάλου sequatur nomen Joannis Chrysostomi, rectius debet sequi nomen Γεωργίου nempe Θεολόγου vel Ναζιανζηνοῦ. Hi enim tres Hierarchae in nostris orationibus ut plurimum coniunguntur, eorumque omnium commune festum celebratur 30 januarii iuxta Menologia Graeca et Russica. Medius etiam locus, ut summus (consentiente ipso Auctore programmatis pag. 10) inter tres μεγαλομάρτυρες his tribus Hierarchis in icone concessus, subiuncto quarto S. Nicolao, antistite Myri, urbis Lyciae, aeque claro apud Graecos ac apud Russos, adsimat hanc coniecturam; nec ulla est ratio, cur unicus μεγαλομάρτυς, seiunctus ab aliis, Georgius collocaretur inter Hierarchas. Hac explicatione admissa, non opus est cum Auctore programmatis pag. 10 et 12 asserere, bis Baptistam et Georgium in icone esse pictos et nominatos. Addo de Nicolao, antistite urbis Myri, quem Auctor (pag 12) incerto aetatis cedit, cum in Menologiis Graecis sub 6th decembris hoc modo indigitari: οὗτος ἦν ἐν τῇ ἁ. Συνόδῳ ἐπὶ τῆς Βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου ἐν ἔτει τιη. in Legendis Graecis et nostris extat prolixa eius Biographia καὶ θαυματουργία. – Haec sunt, quae tecum, vir Eruditissime, communicare volui. Interim valeas precor, mihique favere, prout coepisti, nunquam desinas.

Tui nominis cultor Studiosissimus.

Eugenius Metropolita Kioviensis et Halicensis

Kioviae
15 Octobris
1823.

P. S.

306
159

Huic litteris adiungo meas preces, quibus non deneges, quaeso, tuam opem. Non dubito, quin universitatis vestrae in bibliotheca inveniatur Chronicon Dithmari, Episcopi Merseburgensis, coetanei nostris magnis principibus Wladimiro I et Jaroslavo I. secul. XImi. Opus hoc editum est Francofurti 1580 et plenius in tomo I. Leibnitianae Collectionis scriptorum Brunsvicensium. Auctor circa finem chronici sui describit expeditionem Bolesłai I. regis Polonorum, ad urbem Kioviam, debellationemque huius urbis. Locus hic est mihi valde necessarius, nec, uti credo, adeo prolixus ad describendum. Fac igitur, vir optime, quaeso, ut describatur totus, mecumque communicetur. Librum enim hunc nusquam hic invenire potui. —

P. S.